

utilissimum fanè ad usum quotidianum, miror non recudi. Ex Doctorum placitis collectum est Repertorium *Bertachini*, & Conclusiones *Cardinalis Thuisi*. Huc pertinent Lexica, ut *Speidelii Thesaurus*, *Reigeri Loci Communes*, *Brunori à Sole* cum Additionibus *Jac. Schultes*. Huc pertinet Bibliotheca Juris, exstruenda magis de novo, quàm ab ullo pro dignitate fundata. Nam quod olim *Nevisanus* & *Freymonius* tentârunt, exiguum admodum & mancum est. *Bolduani* & *Draudii* Bibliothecæ Juridicæ, ( illius separata, hujus in Bibliothecam Classicam inserta ) sunt ex Catalogis librorum confectæ, ubi multi recensentur libri, neque editi, neque unquam edendi, ova nunquam posita, ungelegte Eyer / ut ille dicebat. Deinde cum libros ipsi non aspicerent, sed tantum titulos in Catalogis, effectum est, ut sæpè quid in libro tractaretur, non assequerentur, sunt enim Tituli Librorum haud rarò nimis magnifici, multumque